



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

9 Vota tria emittens, vt suffragijs religionis gaudeat, no[n] est religiosus, nec eam intrare tenetur, sed tantum vota, vt simplicia seruare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

43 *Votum de intranda certa religione, duo in se continet, & quoniam hæc sunt.*

44 *Vouens sacros ordines sumere, et tãsi beneficium, aut patrimonium non habeat, uxorem ducere non potest.*

45 *Votum intranda religionis collationem beneficii postea factam non annullat.*

DECISIO I.

Ex conf. 1. alias 4.

Morbo grauissimo ad mortem vexatus, & multa pia facere proponens, & inter alia declarans, & disponens religionem ingredi, Deo sibi sanitatem concedente, ipsa sanitate secuta religionem ingredi non tenetur, c. literaturam, de voto. Quia cum aliud sit velle aliquid facere, & aliud obligare se ad id faciendum, & a diuersis illatio fieri non debet. l. Papin. ff. de minoribus. Nullum propositum, quamlibet firmum, nec deliberatio vlla quantumuis resoluta efficere potest votum, aut promissionem obligantem de præcepto adimplendi proposita deliberata, & dicta nisi promissa, & voueat illa facere, ex S. Th. 2. 2. q. 88. art. 1. & 2. Arch. in cap. qui boni 17. q. 2. 1. & Nau. in Man. cap. 12. num. 24.

DECISIO II.

Ex conf. 2. alias 28.

Agrotus vouens religionem Minimorum, aut aliam religionem particularem ingredi, & sanus effectus Generalis religionis illius, qui non vult eum recipere, non satisfacit voto, nec absolutus ab eo sine alia causa in id accedere, censetur; licet enim vouens ingredi religionem in certo monasterio, quod non vult eum recipere declarari possit a voto absolutus, ex Nau. in Man. c. 12. n. 48. Vouens tamen Religionem in genere, vel in specie, nõ se restringitur ad aliquod monasterium, alias religiones querere tenetur, licet ab aliqua, vel ab aliquibus repudietur, ex Cai. 2. 2. q. 188. a. 3. Nec sufficit refutatio solius Generalis, non reddita saltem causa sufficienti, quare omnia monasteria suæ religionis eum refutare debeant. Quia si cura acceptatio, & admissio volentis ingredi religionem pertinet ad prælatum, & conuentum monasterij, gl. in c. si de reg. in 6. ita etiam refutatio ad eosdem & nõ ad Generalem spectabit; potest tamẽ Generalis, vel Prouincialis causa cognita, & auditis partibus, suis subditis iubere, ne aliquem tali, vel tali de causa recipiant; Refutatus autem a maiori parte Prælatorum, & conuentuum Regni, vel magnæ prouinciæ, liber a voto censeri debet.

DECISIO III.

Ex conf. 3. alias 8.

Pvella, quæ deliberatè in manibus episcopi visitatoris se monalem futuram promittit, votum simplex de intranda religione facere non censetur, & proinde valide sponsalia non obstantè dicta promissione, contrahere valet. Quia cum de essentia voti sit vt promissione fiat Deo, adeo, vt professio facta sanctis ideo censetur votum, quia videtur facta Deo, quatenus nimirum sancti deificati sunt, & participatione quadam diu facti; ita contratio si cur promissio facta sancto de aliquo bono, tanquam homini rationali, non habito respectu quod sit deificatus, votum non censetur. ex Cai. 2. 2. q. 88. art. 5. sic neque promissio facta homini ad faciendum illum certiore tempore futurarum, votum erit. Cum itaque promissio facta per præfatam puellam non erat facta Deo de se faciendo religiosam, sed tantum Episcopo facta fuit ad certificandum illum de voluntate faciendæ religiosam, consequenter votum fecisse non censetur.

DECISIO IV.

Ex conf. 4. alias 13.

Rvsticus castitatem vouens, simulque religionem quandam intrare, ne sciens tamen an tunc intenderet se ad castitatem seruandam obligare, licet ad dictam religio-

nem non admitteretur, si postea admittat religionem non possit, in dubio partem rutiorem eligere tenetur; capit. iuuenis, de sponsal. & ca. ad audientiam, de homic. & proinde reputare se debet obligatum ad castitatem etiã extra religionem seruandam, quamuis ob talem dubitationem facilius erit dispensationem a Papa per sacram Pœnitentiam obtinere.

DECISIO V.

Ex conf. 5. alias 19.

Vouens presbyter fieri, & postea non alia de causa, quam pœnitentia ductus obtinens commutationem, vt quolibet mense in vita sua frequentaret confessionem, & communionem, non obstante hac commutatione, tempus presbyterij per sacros canones præfixum, puta vigesimum quintum annum expectare, & presbyter fieri, si possit, aut votum prius in aliud melius, vel æquale bonum commutare tenetur; quia cum voti commutatio, vel in aliud opus melius, vel saltem æquè bonum fieri debeat, ex Nau. in Man. cap. 12. num. 63. & confessio menstrua, & communitio æquipollens opus assumptioni presbyteratus non sit, obligatio primi voti adhuc durat, & in tuo robore permanet, nec per talem commutationem inuadit, & nullam tolli poterit; quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, cap. Non præstat, de regu. iur. in 6.

DECISIO VI.

Ex conf. 6. alias 3.

Habens propositum inuadendi vitam, & intrandi religionem, postea tamen sponsalia cum virgine contrahens, sed sine præsentia parochi, cum præfata virgine Matrimonium contrahere tenetur; quia neque propositum etiam sæpius iteratum, aut diu continuatum votum constituit, aut obligationem necessariam intrandi religionem inducit, c. literaturam de voto. & Panor. ibi. & Nau. in Man. c. 12. nu. 24. neque Concilium Tridentinum, sess. 29. c. 1. de ref. Matr. sponsalia de futuro contracta sine præsentia parochi annullat, sed tantum sponsalia per verba de præsentia ex Nau. in Man. c. 25. nu. 144. & ideo ad contrahendum Matrimonium virtute sponsaliorum obligatur, quãuis & ipsa etiam per ingressum, & professionem religionis dissoluantur, c. 1. de conuers. coniug.

DECISIO VII.

Ex conf. 7. alias 1.

Cum iudicium, quod sufficit ad aliquem obligandum diabolo, sufficiens etiam sit ad obligandum Deo, gl. in c. mulier. 32. q. 2. & constat, eum qui proximum ferit, vel occidit per iracundiæ calorem peccare mortaliter; consequenter votum in ægitudine, præliis, navigationibus, calore iracundiæ, aut aha animi perturbatione factum, quæ hominem insanum, vel furiosum non reddit, nec iudicium rationis penitus tollit, vouentem ad illud implendum obligat, Panor. in ca. dudum, de conuers. coniug. & Nau. in Man. c. 12. num. 24. quamuis vota sic facta a Prælati iuste commutari, & dispensari possunt, c. 1. & 2. de voto, & Nau. in Man. c. 12. nu. 24. & 77.

DECISIO VIII.

Ex conf. 8. alias 5.

Qui dicit Deo, *Da mihi Domine salutem & ego seruiam tibi* intelligendo mente de seruitio in statu castitatis, & continentia, votum seruandæ castitatis emittit se censetur, ad eamque seruandam obligatur; cum mens dicentis fuerit, (cui maxime attendendum est) se ad castitatem seruandum, secundum propriam verborum significationem, obligare.

DECISIO IX.

Ex conf. 9. in vtrisque.

Sacerdos beneficiarius in articulo mortis vouens castitatem, paupertatem, & obedientiam in manibus Prioris alicuius Monasterij, et in præsentia sui confessorij, aut mo participandi suffragia ordinis prædictorum Prioris, et confessorij; quamuis ex tali uoto religiosus factus non

fit, nec ad religionem intrandam obligatus, eo quod nec eam intrare promisit, nec Prior, & Confessarius potestatem incorporandi illum suæ religioni habebant, quod tamen necessarium est, ut quis religiosus esse possit, cap. ad Apostolicam, de regul. ad vota tamen illa seruanda tanquam simplicia tenentur, ita ut castitatem ex duplici voto, tã Sacerdotali, quam castitatis paupertatem etiam ex eodem voto, obedientiam vero ex nullo seruare tenentur; Quia illud non fuit legitime acceptatum ab ordine, aut conuentu post annum probationis, prout Concilium Tridentinũ sess. 25. c. 15. de reg. requirit: neciple animum obligandi se Episcopo, vel alij Prælato habuit, plulquam ante votum obligabatur.

DECISIO X.

Ex conf. 10. alias 6.

10 **Q**ui scrupulis diuersis rebus secularibus natis agitur proponit intrare religionem certam, aut dicitur *Promitto non mori in seculo*: nec virtute talis propositi, aut rigore verborum, quæ dixit, votum religionis emisisse censetur: quia proponere etiam si missime intrare certam religionem, non est vouere; ex S. Th. 2. 2. q. 88. ar. 1. & 2. Nau. in Man. c. 12. num. 24. & verba prolata, scilicet non velle mori in seculo, non autem religionis ingressum, significant.

DECISIO XI.

Ex conf. 11. deest in Nonis.

11 **C**um votum ab intentione vouentis expressa, vel tacita pendeat, qui principaliter vult vouere castitatem & accessorie religionem, ut facilius eam in illa seruet, castitatem tenetur, etiam si ab intranda religione excusetur; sicut etiam qui principaliter vult religionem vouere, & veluti accessorie castitatem, quam facilius in religione seruare possit: a voto religionis liberatus, etiam & a voto castitatis liber erit; eo quod accessorium sui principalis naturam sequitur, c. Accessorium, de reg. iur. in 6.

DECISIO XII.

Ex conf. 12. alias 27.

12 **V**ouens intrare religionem Capucinarum, vel cuiusdam particulari Hospitali seruire; si a Capucinis recipi non possit, ad seruandam præfatum Hospitali tenetur, quia qui promittit duo alternativè, alterum eorum adimplere tenetur. c. in alternatiuis, de reg. iur. in 6. & aliam Religionem intrando peccat: eo quod illud quod Hospitali debebat, ita soluit alteri, ut fiat inhabilis ad soluendum quod debuit Hospitali solutus autem vni, quod alteri debet, peccat; c. ea te. de iureiur. facta tamen professio in illa religione valida erit.

DECISIO XIII.

Ex conf. 13. alias 16.

13 **M**ater de legitimis filiæ Monasterium ingressæ, & renunciantis legitimis eius, & patris, quas in bonis eorum habere sperabat, Monasterium ædificate vouens ad votum illud implendum non tenetur, quia filii licet viventibus parentibus, spem succedendi in bonis paternis post eorum obitum habeant, antea tamen nihil iuris in eis habere possunt, l. 1. §. si impuberi, ff. de coll. bon. Ideoque per renunciationem filiæ ante mortem patris, nihil patri, aut matri eius acquiritur nisi sola libertas testandi de bonis suis inter reliquos filios, & filias, perinde ac si ipsa filia eius nõ fuisset. Couar. in C. quamuis pactum, de pact. in 6. Et si quid ex illa legitimarum patris renunciatio ne acquiri possit, de illa pater non mater disponere valet: vnde consequenter votum a matre emisum de legitima filiæ ante obitum patris sic renunciata, tanquam de nihilo factum, nullum & irritum censendum est.

DECISIO XIV.

Ex conf. 14. alias 55. de Regularib.

14 **Q**ui semel vouit non transire ad regulam arctiorem, postea ad aliam Religionem, quæ & constitutione suæ religionis, & concessione Apostolica est strictior, &

concessione Apostolica est strictior, & suæ naturæ, & conditioni aptior, & ad seruandam Deo opportunior, non obitante voto illo licite transire potest. Sicut enim votum de non intranda religione nihil vouenti ad illam intrandam obstat, quia maioris boni impeditum est; Arg. c. fi. 2. 2. q. 4. & probat. S. Th. 2. 2. q. 88. artic. 2. ita nec votum de non intranda arctiori religione, vouenti ad illam intrandam, tanquam maioris boni impeditum, obstat. & proinde post petitam licet non obstantiam a superiore licentiam, c. Virgines, 2. o. q. 4. c. licet, de regul. illam licite intrare potest.

DECISIO XV.

15 **R**egularis cum incapax omnino Domini, & possessionis sit, etiam sui Breuiarii, nec aliquid sibi, cui nomine suo acquirere potest, sed quicquid acquirit quomodo cunque siue per contractum, siue per vltimam voluntatem, siue per industriam, siue iussu siue iniussu Prælati, Deo Ecclesiæ, & suo Monasterio, ubi est professus acquirit, & etiã quæ sita per eum ante probationem, & nondum in alium legitime translata, per professionem, in Religionem, vel Monasterium, quibus se dicat, transfert, Auth. ingressi, C. de sacros. eccl. & c. in præsentia, de proba. & c. 2. de test. & c. 2. & c. cum ad monasterium §. si de sta. monach. C. sequenter transiens ab vna religione ad aliam, nihil eorũ, quæ in priori religione, vel Monasterio habebat, nisi vestes & scripta sua, quæ primæ religioni suæ inuicilia essent, & alia, quorum delationem probabiliter crederet Prælati suo non fore ingrati ad secundam illa secum transferre potest: reliqua vero minime nisi relictis originalibus vel eorum copijs, per quas fieret ne delatio eorũ esset religioni damnosa.

DECISIO XVI.

Ex conf. 15. alias 45. de regul.

16 **P**roponens firmiter certam religionem intrare, eam, que intrans, sed post undecim menses eam egressus, & sicet aliam intrans animo non faciendi professionem, in qua per undecim menses mansit nulla expressa professione facta, & eam postea sine licentia egressus, & a superiore captus, & habitu spoliatus, neque votum aliquod religionis fecisse, neque religiosus censendus est sed neque religionem aliquam intrare tenetur. Quia propositum intrandi religionem etiam firmiter conceptum, votum obligatorium non inducit, ita S. Th. 2. 2. q. 88. ar. 1. ex Nau. in Man. c. 12. nu. & etiam si voluisset, illud tamen satis intrando religionem 24. ibique per tot menses manendo impleuit, cum votum de intranda religione per introitum adimpletum cessatur, licet professionem non faciat ex S. Th. 2. 2. q. 189. ar. 4. Neque tacite professus est, qui sicet religionem ingressus etiam post undecim menses eijcitur, & habitu a Superiore illius spoliatur, Arg. c. humana uires, 2. 2. q. 5. & c. tua, de sponsal.

DECISIO XVII.

Ex conf. 16. alias 36.

17 **C**um ludus triplex sit, honestus, recreationis gratia factus, & uenialiter malus, & malus mortaliter, ex S. Th. 2. 2. q. 168. ar. 3. & 9. ex N. in M. c. 2. o. Quævis votum de non ludendo ludo honesto non obligat, eo quod est contra bonos mores, Arg. c. in malis, 2. 2. q. 4. & cap. nõ est obligatorium, de reg. iur. in 6. votum autem de non ludendo ludo uenialiter, aut mortaliter malo, vouentem obligat, & bonũ est, sicut nõ votum peccandi uenialiter, aut mortaliter, malum est, c. si aliquid, ita etiam uotum de non peccando uenialiter certo aliquo genere peccati, aut mortaliter, est bonum, iusta tamẽ de causa, ea, si quis uoues est nobilis, & ueretur se non seruaturũ uotũ in exercitiis, uel Curia, ubi uiuit, & magna est ludendi occasio, & consuetudo inter homines sui itatus, & ordinis, a Papa ab obligatione uoti absolui potest, & in bonũ maius, uel æque bonũ commutari. Quia sicut Pœnitentaria admittitur solet pro iusta causa, uel pro parte causæ dispensandi super uoto castitatis, eo quod qui, uel quæ uouet ualde urgeretur & grauius stimulis carnis ad fornicandũ, & uoues perinde fornicatur, ac si uotũ castitatis nõ emisisset, quia humilioris conditione trahit a maiori peccato ad minus & peccatum hoc tari